

Ud  
2305

Xe. 962.



Schaffer  
Li.



LEOPOLDI AUENBRUGGER

MEDICINÆ DOCTORIS  
IN CÆSAREO REGIO NOSOCOMIO NATIONUM  
HISPANICO MEDICI ORDINARIIL.

INVENTUM NOVUM

EX

PERCUSSIONE THORACIS HUMANI

UT SIGNO

ABSTRUSOS INTERNI

PECTORIS MORBOS  
DETEGENDI.



---

VINDOBONÆ,

TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆS. REG.  
MAJEST. AULÆ TYPOGRAPHI.

---

MDCCLXIII.

LEOPOLDI AULBRUGGER

MAGISTER DOCTORIS

IN ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA

ARTIS MEDICAE ORDINARIUS

INVENTUM NOVUM

EX

PERCESSIONE THORACIS HUMANI

UT VIXO

ARTIBUS INTERNI

LEOPOLDI AULBRUGGER



LEOPOLDI AULBRUGGER

IN ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA

ARTIS MEDICAE





## PRÆFATIO



Isto tibi benevole lector  
signum novum, in de-  
tegendis morbis pecto-  
ris a me inventum.

Consistit illud in percussione  
humani thoracis, ex cujus soni-  
tuum resonantia varia, de inter-  
na constitutione cavi hujus judi-  
cium fertur.

Detecta circa hoc objectum non  
pruritus scribendi, neque specu-  
lationum luxuries, sed septennis

A 2 ob-

observatio digessit , ordinavit ,  
edidit.

Prævidi autem multum bene ,  
quod scopulos non exiguos subi-  
turus sim , simul ac inventum  
meum publici juris fecero.

Enim vero invidiæ , livoris ,  
odii , obtrectationis , & ipsarum  
calumniarum Socii , nunquam de-  
fuerunt viris illis , qui scientias &  
artes suis inventis aut illustrarunt ,  
aut perfecerunt.

Idem discrimen subire consti-  
tui ; sed eo proposito : ut præ-  
dictorum nemini mearum obser-  
vationum rationem sim redditurus.

Scripti illa , quæ sensuum te-  
stimonio inter labores & tædia ite-  
rum iterumque expertus sum : ne-  
que



x

que in his unquam concessi locum  
feducatrici philautiæ.

Ne autem quis existimet, signum  
hoc jam exhaustum esse in morbis,  
quos adduxi: fateor omni candore,  
& in his superesse defectus,  
quos tamen sedula observatio  
emendabit cum tempore; forte  
etiam in aliis conditura veritates,  
ad cognoscendos, præfagiendos, &  
curandos morbos pectoris utiles.

Et hæc erat ratio, cur cum  
signis quieverim, atque etiam in  
his, ad inevitabilem causarum  
quarundam enumerationem, quæ  
ad illustrandas observationes meas  
conferre poterant, confugerim  
ad commentaria *Illustriissimi L. Ba-*  
*ronis van Swieten*, quoniam in  
his, quid quid ab observatore  
Homine desiderari unquam po-  
test, absolutum invenitur.

A 3

Pe.

Peperci sic profusiori scriptio-  
nis argumento : simul ac nactus  
inde fui fundamentum firmissi-  
mum , cui rudimenta inventi mei  
illustrius innitantur.

Atque ideo non dubito , quin  
veris artis medicæ æstimatoribus  
gratum fecerim , dum illa propa-  
lare suscepi , quæ ad abstrusorum  
pèctoris morborum cognitionem  
hactenus desideratam , lumen non  
exiguum affundunt.

Omissi multa dubia , minus di-  
gesta , his tamen elaborandis non  
cessabo deinceps insudare.

Postremo non studui in scri-  
ptionis genere superbire : elegi sty-  
lum , ut intelligi possim.

Vale !

Dabam 31. Decembris 1760.

# MONITORIUM AD OMNES MEDICOS.

**E**Xpertus affirmo, quod signum,  
de quo hic agitur, gravissimi  
momenti fit non tantum in cognoscen-  
dis, sed etiam curandis morbis: atque  
ideo primum Locum mereatur, post  
explorationem pulsus & respirationis.  
Enim vero, in quocunque morbo præ-  
ternaturalis sonus thoracis observatus  
fuerit, majus subesse periculum indica-  
bit semper.



A 4

OB-



OBSERVATIONUM  
SYNOPSIS.

*De sono humani thoracis naturali, & quomodo is in diversis locis deprehendatur.* pag. 12.

*De Percussionis Methodo.* pag. 16.

*De præternaturali sono thoracis ejusque significationibus in genere.* pag. 20.

*De morbis in genere, in quibus occurrit præternaturalis sonus thoracis.* pag. 27.

*De morbis acutis, in quibus occurrit præternaturalis sonus thoracis.* pag. 29.

*De*

X

*De morbis chronicis, in quibus  
occurrit præternaturalis sonus  
thoracis.* pag. 40.

*De sono præternaturali thora-  
cis, qui magnam extravasatio-  
nem liquidorum in vasis hujus  
cavi coercitorum constanter se-  
quitur* pag. 52.

*De illis affectibus pectoris, qui  
a percussione non deteguntur.*  
pag. 56.

*De illis, quæ sub hoc signo præ-  
sente anatomica Sectio detexit.*  
pag. 60.

*De pulmonum scirrbo.* pag. 61.


*De ejus signis.* pag. 64.

*De vomica thoracis interni in  
genere ejusque diversitate.*  
pag. 65.

*De vomica ichorosa: seu de scir-  
rbi in liquamen soluti signis.*  
pag. 68.

- De signis vomicae purulentæ clausæ.* pag. 27.
- De signis vomicae in tracheam apertæ.* pag. 74.
- De empyemate & ejus signis.* pag. 78.
- De hydrope pectoris in genere.* pag. 81.
- De signis generalibus hydropis pectoris.* pag. 82.
- De signis hydropis pectoris ex uno latere.* pag. 83.
- De signis hydropis pectoris ex utroque latere.* pag. 85.
- De hydrope pericardii.* pag. 86.
- De signis hydropis pericardii.* pag. 88.
- De magna sanguinis extravasatione, ejusque signis.* pag. 90.
- De signis aneurismatis cordis.* pag. 92.

OB-



OBSERVATIO I.  
DE  
SONO HUMANI THORACIS  
NATURALI, ET QUOMODO IS  
IN DIVERSIS LOCIS DEPREHEN-  
DATUR.

§. I.

Thorax sani hominis sonat, si  
percutitur.

SCHOLIUM.



THoracis nomine intelligo  
illud corporis humani  
cavum, quod a collo &  
claviculis incipit, & ter-  
minatur, ubi diaphragma arcubus co-  
sta-

farum annectitur. Hoc cavum ad castæ anatomie leges describere superfluum duxi, quoniam simplicitas observationum in proponenda veritate inventi, gratam legentibus brevitatem exigit: atque ideo illum solummodo conceptum sani hominis dari postulo, nempe, viscera intus contenta suis usibus patere.

## §. II.

Sonus, quem thorax §. I. edit, talis observatur, qualis in tympanis esse solet, dum panno vel alio tegmine ex lana crassiori facto, obtecta sunt.

## SCHOLIUM.

**C**Ogimur sæpe parabolice exprimere impressiones rerum per sensus factas, ubi destituti sumus specificis notio-



tionibus, quæ rei conceptæ characterem exprimunt. Placuit propterea hac similitudine uti.

§. III.

Sonus hic observatur per totum thoracem, hocce, quo sequitur, modo.

*Primo* dextrum thoracis latus percussum edit sonum in anteriori parte a clavicula incipiendo usque ad sextam costam veram: in laterali ejus parte, sub humero incipiendo, usque ad septimam veram: in posteriori vero a scapulis usque ad secundam, & tertiam costam spuriam.

*2do* Sinistrum thoracis latus percussum, sonum dat in priore parte a clavicula incipiendo usque  
ad

ad quartam costam veram. At ubi cor situm pro parte obtinet, quandam plenitudinem sonus exhibet manifeste indicans: solidiorem cordis partem ibi locatam vividam resonantiam pro parte obtundere. In laterali & postica finistri thoracis parte, eadem se habent sonitus perceptiones, uti in dextro ad N. I. recensentur.

3<sup>tio</sup> Sternum totum percussum resonat, ita clare, ac thoracis latera: excepto illo loco, cui cor pro parte subjacet; ibi enim paulo obscurior sonus percipitur.

4<sup>to</sup> Idem Sonus per tractum spinæ dorsi observatur, quousque hæc concurrat ad efformandum thoracis cavum.

SCHO-

SCHOLIUM.

**S**onus iste in macilentis hominibus clarior, in torrosis obtusior, in obefis vero ob molem pinguedinis prope suffocatus deprehenditur. Interim maxime sonorus locus existit in anteriori thoracis parte: nempe, a clavicula ad quartam costam veram. Verum ideo, quia mammæ, & muscoli pectorales molem deinde augent, obscurior resultat sonus.

Quandoque in laterali parte obtusior occurrit sonus infra axillam: quoniam ibi in quibusdam panniculus adiposus crassior cuti subjacet. In posteriori Thoracis parte sonus minus perceptibilis est, ubi scapulæ locantur: quia resonantia intercipitur ob ipsum os scapulæ, & ob musculos qui dorso per scapulam imponuntur. Tandem nonnunquam

quam sonus ex tertia costa spuria percussione evocatur. Verum hoc perpetuum non est : pendere mihi videtur ratio, a ludente natura, quæ in diversis hominibus, diversam longitudinem thoracis constituit.

## OBSERVATIO II.

DE

## PERCUSSIONIS METHODO.

## §. IV.

Percuti, verius pulsari thorax debet aductis ad se mutuo, & in rectum protensis digitorum apicibus lente, atque leniter.

## SCHOLIUM.

**T**orrosi homines, atque illi, quorum thoraces multa pinguedine saginati sunt, fortiorem percussione ferunt

runt; imo talem requirunt, ut prodeat sonus, quem parva & subtilis pulsatio, ex gracili & tenero thorace, quam facillime evocat.

§. V.

Thoraci supertensum fit indusium, vel manus percutientis chirotheca (modo ex pollito corio non fit) muniatur.

SCHOLIUM.

SI nudum pectus nuda manu pulsatur, superficierum pollitarum concursus strepitum producit, & soni evocandi constitutionem obscurat.

§. VI.

Hominem, cujus thoracem percutere voles, primo in naturali respiratione permitte; jube

B                    dein

dein, ut aërem inspiratum retineat. Variabilis occurrens percepti soni mutatio, sub inspirato, exspirato, & retento aëre, plurimam utilitatem habet, ad ferendum iudicium.

## §. VII.

Priorem thoracis partem percussurus jube, ut caput erectum teneatur, humeri ad posteriora, id est, versus dorsum reducantur. Hac enim ratione efficitur, ut pectus ad anteriora producat, cutis, muscoli & costæ tendantur; atque ideo clarior resonantia a percussione obtineatur.

## §. VIII.

Latera percussurus, brachia super caput protendi jube; utrumque

que latus hac ratione tensum nitidius resonabit.

§. IX.

Impera, cui dorsum percuties, ut ad anteriora se inclinet, humeros suos pectus versus adducat, gibbumque faciat, hæc eadem est ac prioris ratio, exactior scilicet sonitum evocandi methodus.

SCHOLIUM.

**O**Bvia hæc experimenta, quivis sanissimus in se, vel in aliis tentare potest: & inde capient omnes boni ex sonituum varietate fundamentum sufficiens, hocce signum in detegendis morbis pectoris non vilipendendi.

B 2

OB-

## OBSERVATIO III.

DE

PRÆTERNATURALI SONO  
THORACIS EJUSQUE SIGNIFI-  
CATIONIBUS IN GENERE.

§. X.

Si thorax in homine sano pul-  
fatur , resultat sonus in omnibus  
illis locis , uti in observatione pri-  
ma ad §. 3. notatum est. Percu-  
tere autem oportet plurium homi-  
num thoraces , ut probe perspecta  
habeatur emissi soni conditio , ob  
habitum corporis diversum in ho-  
minibus diversis.

## SCHOLIUM.

**D**ictum fuit ad §. 3. quod tho-  
rax non ubique eadem clarita-  
te



te refonet, fimulque adnotatæ funt  
caufæ, vividam refonantiam impe-  
dientes.

Atque ideo admonendi funt obser-  
vatores, ut plurium hominum tho-  
races percutiant, non tantum ob im-  
pedimenta, quæ *AUTHOR* naturæ in  
omnibus æqualiter difpofuit; ut funt  
fcapulæ, mammæ, cor: fed etiam  
ob diverfam capacitatem hujus cavi,  
quod in variis corporibus omnino va-  
rium eft. Accedit difcrimen torofita-  
tis, & crassities panniculi adipofi.

Enim vero per hæc fonitus vel al-  
tior, vel profundior, vel clarior, vel  
obfcurior, vel quandoque prope fuf-  
focatus deprehenditur.

## §. XI.

Si igitur ex prædictis §. 3. locis sonoris non percipitur sonus manifestus, utrique lateri æqualis, eidemque percussionis intensitati conformis, morbosum quid in pectore latere significat.

## SCHOLIUM.

**E**X hac veritate constituitur fundamentum generale, atque inde deducuntur prædictiones certæ, quæ suo ordine mox sequuntur.

Multa enim observatione convictus didici, latere posse morbos pessimos in thoracis cavo, qui nullum existentiae suæ signum edunt, atque nulla ratione deteguntur, quam sola hac percussionis methodo.

Enim

Enimvero docet æqualis ex utroque latere evocati fonitus claritas, æreâ pulmonum vasa libera, nullo tumore pressa, aut quadam gravi in cavo thoracis latitante colluvie suffocata. Excipiuntur tamen quidam pectoris affectus, qui suo loco recensentur.

§. XII.

Si in aliqua thoracis parte sonora eadem intensitate percussa sonus altior; morbosum ibi subesse notat, ubi altitudo major.

§. XIII.

Si in aliqua thoracis parte sonora sub eadem intensitate percussa sonus obscurior: morbus in obscurius sonante loco hærebit.

B 4

§. XIV.

## §. XIV.

Si percussus thorax in loco alias sonoro, sono suo naturali penitus destitutus fuerit, id est, carnis percussæ sonum ediderit, morbus in illa plaga, quæ sic resonuerit latebit.

## SCHOLIUM.

**Q**ui manu proprium pectus, & postea femur suum percusserit, habebit ex sonituum differentia requisitam ideam ad intelligendam prædictionem, quæ proposita est.

## §. XV.

Si percussus thorax in loco alias sonoro carnis percussæ sonum ediderit, morbosum in eam latitudinem

nem diffusum esse intelligas, quantum retulerit ejusmodi fonitus circumferentia.

§. XVI.

Si percussus thorax in loco sonoro carnis percussæ sonum ediderit; jube, ut aër profunde inspiratus retineatur: & si retento sub spiritu locus percussus, carnis percussæ sonum servabit: judica, morbosum profunde penetrare thoracis cavum.

§. XVII.

Si thorax in anteriori parte percussus, retento quamvis aëre, carnis percussæ sonum ediderit, tunc posteriorem partem, diametraliter

B 5

prio-

priori oppositam quoque percussas : & si in illo loco cæterum sonoro carnis percussæ sonus resultabit, tunc morbosum penetrat totum thoracis cavum.

## SCHOLIUM.

**P**endent hæ varietates a causa, quæ solitum volumen aëris in cavo thoracis contenti vel minuere, vel auferre potest.

Causa similis, five in solida, five in liquida massa constiterit, jam efficiet illud, quod exempli gratia in doliis observamus : quæ, dum vacua sunt resonant in omni puncto ; verum repleta tanto plus sonitu suo destituuntur, quanto magis volumen aëris in iis contenti fuerit imminutum.

OB.

OBSERVATIO IV.

DE

MORBIS IN GENERE, IN QUI-  
BUS OCCURRIT PRÆTERNA-  
TURALIS SONUS THORACIS.

§. XVIII.

Sonus præternaturalis observa-  
tionis III. & occurrit in morbis  
acutis, & deprehenditur in chro-  
nicis; constanter vero sequitur  
magnam extravasationem liquido-  
rum in vasis hujus cavi contento-  
rum.

SCHOLIUM.

CONSTAT ex §. præcedentis scholio,  
quod omne illud obtundat vel de-  
leat sonum naturalem thoracis, quid-  
quid volumen aëris in ejus cavo con-  
tenti

tenti valet minuere vel ex integro delere.

Hoc autem fieri posse docent morborum acutorum & chronicorum natura, causæ, effectus, & defunctorum ex similibus malis aperta cadavera hæc facta esse demonstrant.

Verum fons præternaturalis, qui magnam extravasationem liquidorum, quæ in vasis hujus cavi coercentur, constanter sequitur, sequenti experimento confirmatur.

Si in cadavere quocunque, sonorum thoracis cavum, liquido impletur injectionis ope, tunc sonitus lateris repleti pro illa altitudine obscuratur, quam injectum liquidum occupaverit.

Exigit jam observatorum ratio, ut ordine §. 18. attingam propositos morbos in quibus hoc signum observavi.

OB-



OBSERVATIO V.

DE

MORBIS ACUTIS IN QUIBUS  
OCCURRIT PRÆTERNATURALIS  
THORACIS SONUS.

§. XIX.

Sonus præternaturalis, qui §. 18.  
in morbis acutis occurrit, vel ob-  
servatur sub horum decursu, vel  
in termino decursus eorum.

SCHOLIUM.

**H**Æc veritas exhortatur omnes me-  
dicos, ut signum tanti momenti  
non intermittant experiri in morbis acu-  
tis: siquidem hac ex parte securiores  
reddentur in ferendo iudicio, quod in  
acutorum decursu sub omni tempore  
adeo anceps est.

Ac-

Accidit mihi familiariter vidisse ægros, qui a morbis acutis apparenter restituti sub larva inter-vel remittentium febrium medicis suis imposuerunt: ubi interea morbosa materies non penitus subacta, postea uni lobo pulmonis impacta, lethali scirrho vel vomicæ fundamentum jecit.

## §. XX.

Sonus præternaturalis §. 19. qui sub decursu morborum acutorum observatur, occurrit frequentissime in morbis inflammatoriis pectoris.

## SCHOLIUM.

**D**ico frequentissime: enim vero, qui inflammationis historiam obiter tantum noverit, comprehendet facile hujus afferti rationem: præcipue, si illa exacte perpenderit, quæ Illustrissimus Præceptor

ceptor meus in Commentariis CELEBERRIMI BOERHAVII de inflammationis effectibus (a) exaravit.

Si quis hæc partibus in pectoris cavo contentis applicuerit, inconcussa argumenta inveniet, præternaturalem thoracis sonum Observationis III. nunquam frequentius quam sub decursu inflammatorum morborum pectoris occurrere posse.

Accidere tamen potest, ut illos morbos epidemicos, qui materiam peccantem ad peripheriam corporis inevitabili fato deponunt, hoc signum comitetur: nempe antequam eruptio exanthematica fiat.

Hoc in constitutione epidemica petechiali annorum 1757. 1758. 1759. observare sæpe datum est, atque sub epidemia exanthematica militari, curren-

---

(a) Vide comment. ad §. 382. 387. 338.

rentis anni 1760. non infrequenter  
occurrebat : præcipue in illis agris,  
quorum invasio inflammatorium mor-  
bum pectoris æmulata est.

Id unum in ultima epidemia singula-  
re observavi, quod præternaturalis fo-  
nus in quadam thoracis parte femel  
præfens, prius non deseruerit ægrum :  
usque exanthematicus ille morbus ( qui  
certis suis diebus firmiter alligatus est )  
integre fuerat subactus.

Si mihi vitam impertietur DEUS ter  
Optimus Maximus, fieri posset, ut ea,  
quæ me docuit decennis observatio cir-  
ca exanthemata miliaria, evulgarem.

### §. XXI.

Sonus, qui §. 19. sub termi-  
no decursus acutorum occurrit:  
observatur tunc, quando excre-  
tio-

tiones materiae peccantis non respondent morborum, quorum sunt, magnitudini.

SCHOLIUM.

Quidquid acutum ex decidentia Veteres appellarunt, sub apparente signo §phi 21. chronicum observavi: atque ideo hic paragraphus ad hanc observationum classem minus recte refertur; sed proprie chronicos morbos attinget. Interea tamen ordinis ratio exigit, ut obiter attingeretur.

§. XXII.

Sonus præternaturalis, qui sub decursu morborum inflammatoriorum pectoris §. 20. occurrit: observatur passim quarto morbi die: rarissime hunc diem præcedit, sæ-

C

pe

pe eundem sequitur: idque in affecto latere.

## SCHOLIUM.

**N**on est intentio hujus Phaenomeni rationem indigare, solummodo illud notare meum propositum fuit.

Interim constans circa hoc signum observatio me docuit, quod illis diebus occurrat, quos decretoriorum Indices appellamus: id est raro tertio; sæpissime quarto; multoties quinto & septimo; sed nunquam tardius. Heterodoxum videbitur, quod quintum & septimum inter decretoriorum indices collocaverim. Verum qui quaternariorum rationem in morbis exacte observaverit, fatebitur, quod quintus sæpe existit index noni, uti septimus undecimi: qui ultimus tamen in inflammatoriis pectoris morbis admodum rarus est Index.

Ex.

Excipiuntur vero hic illi morbi acuti, qui ad §. 21. pertinent.

Solet autem hoc signum apparere in illis inflammationibus pectoris, quæ pleuram, vel pulmonem, vel utrumque simul cum humida tussi adoriuntur: contra vero abesse in iis, quæ sputis in principio & progressu caruerunt: ut sunt pleuritis sicca, deinde inflammatio, mediastini, pericardii & cordis. Enim vero in his malis eo usque affecta pars sono præternaturali destituta est, donec vel in mortem tendant, vel naturæ aut artis beneficio suppurent; & in conspicuas vomicas abeant.

§. XXIII.

Sonus iste §. 22. a die, in quo occurrit crescit & augetur pro morbi natura, magnitudine & diu-

C 2                      turni-

turnitate : decrefcit vero pro excretorum qualitate , durabilitate & copia.

### SCHOLIUM.

**P**endet incrementum fonitus præternaturalis a materia morbifica , quæ ad inflammatum latus §. 22. fenfim deponitur , & quandoque in tali copia cumulatur , ut sæpe obfervaverim illam duas tertias partes unius cavi thoracis fuperaffe ; quemadmodum ergo fimilis materia plus minusve congefta folvi , fubigi & expelli debet ex corpore , ut redeat fanitas, ita ad decrementum ejus requiritur , ut excretiones folutz & fubactæ materiæ refpondeant, in qualitate, durabilitate , & copia morbo per fuas caufas ( a ) cõgnito.

§. XXIV.

---

( a ) Vide Sphos 824. 88 r.



§. XXIV.

Qui fons §. 23. semel præfens  
vel in mortem tendit, die ab ortu  
suo decretorio: vel per excretio-  
nes solvitur: vel in alios morbos  
abit.

SCHOLIUM.

Videantur circa hæc Commentaria  
Illustrissimi mei Præceptoris ubi  
(b) mortis indicia, (c) excretionis fu-  
turæ signa, (d) transitus in alios morbos  
recenset, explicat, docet.

§. XXV.

Interim a morborum inflam-  
matoriorum pectoris fatis inter  
se comparatis sub signo §. 22. se-  
quentia extraxi.

I<sup>mo</sup> Quo fons in loco thora-  
cis magis suffocatus, atque ad car-

C 3 nis

---

(b) 848. 905. (c) 830. 888. (d) 832. 837.  
843. 892. 897.

nis percussæ sonitum accesserit plus tanto morbus major.

2<sup>do</sup> Quanto majus spatium suffocatus sonus emensus fuerit, tanto morbi periculum exactius.

3<sup>tio</sup> Magis periclitatur æger sub affecto sinistro latere quam si dextrum foret occupatum.

4<sup>to</sup> Priorem & superiorem thoracis partem (quæ a clavicula ad quartam costam terminat) minus discrimen habere, quam inferiorem partem sonitu esse destitutam.

5<sup>to</sup> Magis periculosum est, in posteriori thoracis parte sonum cessare, quam eundem in priori & superiori abesse.

6<sup>to</sup>

6<sup>to</sup> Integrum thoracis latus sonitu privari, passim lethale.

7<sup>mo</sup> Sternum sonitu destitui, mortiferum.

8<sup>vo</sup>. Locum, quem cor occupat, carnis percussæ sonum in magna circumferentia edere, exitiosum.

### SCHOLIUM.

**O**bservavi quandoque fatales præditiones ad numerum sextum & septimum falsas fuisse tunc, quando natura simile congestum ad peripheriam thoracis, vel ad alias corporis partes minus principales, formando abscessus, ablegavit.

Accedit, quod prudens veterum audacia (quæ affectam plagam aut fecare, aut urere tentavit) naturæ me-

---

40 OBSERVATIO VI.

---

dicantis methodum felicissimo cum successu sæpe imitata fit. Vide Illustrissimi mei Præceptoris Commentaria. (a)

OBSERVATIO VI.

DE

MORBIS CHRONICIS, IN QUI-  
BUS OCCURRIT PRÆTERNATU-  
RALIS SONUS THORACIS.

§. XXVI.

Sonus præternaturalis, qui in chronicis morbis occurrit, vel debetur 1<sup>mo</sup> occultæ vi, quæ viscera thoracis infestat, tardo incremento obruit, & inevitabili jactura tandem perdit: 2<sup>do</sup> vel observatur tunc, quando sensibiles effectus visceribus thoracis lentam perniciem inferunt.

SCHO-

---

(a) Vid §. 895. | 1190a

SCHOLIUM.

**H**Æc sunt generalia capita, ex quibus omnes chronici morbi originem ducunt, & tanquam ex suis causis pendent.

Enimvero, five ex uno five ex altero capite pectoris interna infarciri cogites; semper aderit præternaturalis focus, de quo hic agitur.

§. XXVII.

Morbi qui §. 26. occulta vi viscera thoracis infestant, sunt 1<sup>mo</sup> hæreditaria ad morbos pectoris dispositio: 2<sup>do</sup> Morbi, qui ab affectionibus animi pendent, & præcipue in desiderio frustrato consistunt inter quos Nostalgia principem locum obtinet: 3<sup>tio</sup> Morbi

C 5 quo-

quorundam opificum, quibus natura nimis debiles pulmones largita est.

## SCHOLIUM.

**I**<sup>mo</sup> **Q**uid hæreditaria labes valeat in producendis suo tempore morbis, id ratio non assequitur, sola experientia docet.

Numquid imbecillior juvenis a sanis parentibus natus, securiori valetudine gaudet imbecilli alio, qui phthificis genitoribus vitam debet?

Confirmat hoc Illustrissimus Præceptor in commentariis suis ad paragraphum 1075. ubi ad numerum **I**<sup>mum</sup> sequentia habet. *Morbos propagari ex parentibus in prolem numerosis constat observatis, neque tantum in epilepticis hoc animadversum fuit, verum & phthisim &*  
po-

---

DE MORBIS CHRONICIS. 43

---

*podagram derivari in seros nepotes constat. Mirabile in primis hoc est, quod latens in corpore illud semen morbosum per annos dormiat iners, antequam actuosum fiat. &c.*

Legi & relegi merentur commentaria ad paragraphum praedictum, in qua, postulata tua, demonstrata invenies.

<sup>2<sup>do</sup></sup> Oppositos sane effectus ab animi passionibus proficisci videmus, dum morbos corporis generant. (a)

Verum ad obscurandum pectoris fonitum nullam omnium passionum potentio-rem observavi, quam spes succisas optatum impetrandi.

Quam ob rem, quum Nostalgia (vulgo dictum *Heimwehe*) primum locum obtineat, ejus historiam paucis dabo.

Dum

---

(a) Vide commentar. §. 1093.

Dum juvenes in incremento constituti, vi rapiuntur ad tyrocinium militare, atque omnem spem abjurare coguntur in optatam patriam incolumes redeundi; tunc evadunt tristes, taciturni, languidi, solitarii, cogitabundi, suspirantes, gementes; tandem insensibiles & indifferentes ad omnia, quæ vitæ ratio ab ipsis postulat.

Malum hoc vocatur Nostalgia; in quo nec Medicamentum, nec ratiocinium, nec promissa, nec intentata supplicia, mutare valent corpus, quod in idea desiderii frustrati, cum fonitu unius lateris obscuro tabescit.

Multorum hoc morbo defunctorum cadavera aperui; & inveni semper pulmones pleuræ firmiter accretos: lobum vero ex latere non fonante callosum induratum, plus minusve purulentum.

Ma-



Malum hoc ante aliquot annos sat frequens, nunc rarissime occurrit; idque ab illo tempore, ubi sapientissimo instituto, pacta ad determinatos annos cum similibus ea spe constituta sunt, ut elapso pactiois tempore, a bello redituri, civitatum suarum privilegiis gaudere possint.

3<sup>tio</sup> Experitur labriosa hominum industria suas noxas, uti eorundem aetates temperamenta & sexus, propria sua mala fovent.

An non videmus viros literatos valetudinaria corpora reportare, dum diu noctuque indefessis studiis ingenia sua perficiunt? Operosus agricola numquid ante tempus duros inter labores senescit?

Idem verum est de quorundam opificum laboribus; sic Metallurgi, Pictores

res, Deauratores, Plumbifossores &c. obnoxii vivunt spasmodicis colicis, quas pictonum vocant.

Verum agitur hic de illis mechanicis, quorum laboris conditiones, sub depereunte pectoris sonitu ad pulmonum morbos disponunt.

Sic Sartores, Molitores &c. debili pulmone donatos, sub signo suffocati sonitus crebro phthificos observavi. Horum primi, si commissuras annosarum vestium separant, subtilem lanuginis scobem coguntur inspirare; alii vero laboratoriorum suorum aërem pulverulentum ducere.

Sutores, Textores, &c. qui fabrilibus machinis suis, infirma pectora coguntur fortius applicare, sæpe asthmatici evadunt: simul ac scirrhosum pulmonem propterea nanciscuntur. Quæ quidem  
tar-

---

DE MORBIS CHRONICIS. 47

---

tardius citiusve eveniunt , prout operum suorum perficiendorum ubertate diutius & pertinacius fuerint divexati.

Equidem fateor , minus recte relata fuisse huc opificum mala , quoniam a causis , quas adduxi , nimium apertis proficiscuntur.

Verum qui perpenderit signa abstrusa debilitatis in viscere singulari , tamquam causam prædisponentem ; deinde lentum & vix sensibile incrementum mali contulerit cum incolumitate aliorum , quibus natura firmiora pectora impertita est : locum asserto , ut spero , non negabit.

Quæri hic recte posset , cur allegatæ causæ , quæ toti pulmone subinde applicantur , non utrumque lobum afficiant ?

Ad

Ad hoc respondeo: rarissimos casus esse, ubi uterque pulmo affectus invenitur: & illud si obtigerit, tamen demonstrat, unum lobum magis altero morbosum esse.

Interim assidua cadaverum sectio me docuit, quod uno lobo pulmonis communiter integro, alter corruptus sit. Fateor candide, solidam rationem hujus observati me reddere non posse: plura enim in morbis fiunt, quæ observare tantum licet, minime vero intelligi.

§. XXVIII.

Morbi §. 26. ad *N<sup>rum</sup> 2.*, quorum sensibiles effectus visceribus thoracis lentam perniciem inferunt: debentur *1<sup>mo</sup>* vel vitiis liquorum sensim natis: *2<sup>do</sup>* vel morbis acutis non bene sanatis.

SCHO.

SCHOLIUM.

I<sup>mo</sup> VItia liquidorum fenfim nata oriuntur ab ingeftis, quæ noftris humoribus affimilari non poffunt. Quid autem infaluber ufus ingeftorum fimilium in producendis morbis chronicis valeat, abunde demonftratum invenitur (a).

2<sup>do</sup>. Morbus acutus non bene fanatus dicitur, quando materies morbi relicta, & non penitus fubacta corpori inhæferit. (b)

Materies hæc relicta, vel in parte prius affecta reftabit, vel fupponitur fuiſſe translata in illam thoracis plagam, quæ (uti in paragraphis obſervationis tertix dictum eſt) percuſſa non fonuerit.

D Ergo

---

Vide Commentar. (a) §. 1051. (b) §. 1052.  
1053.

Ergo morbi materies, vel pleuræ vel pulmone vel utriusque simul, vel mediastino, vel pericardio inhærebit.

Quando materies suppuratoria relicta est ab inflammatorio pectoris morbo prægresso, fati facile cognoscitur; sed si reliquæ illæ ad scirrhum pulmonis contulerint: quantum decipiuntur Medici!

Observavi sæpe sub tussi prope nulla, aut respirationis incommodo integrum thoracis latus fonitu caruisse tunc, quando ex febre acuta reconvalescens, sub febre erratica vix ægrotare visus est Medico, donec morbo sensim crescente (forte etiam tunc non dum cognita mali fede) vel hydropico tumore semisepultus, vel ad pellem & ossa usque consumptus periisset.

§. XXIX.

Regula propterea generalis sub apparente signo §. 26. in morbis chronicis hæc est: habitum corporis perdi, & vires consumi desperatum.

SCHOLIUM.

**H**ic est inevitabilis effectus, quem morbi materies visceribus thoracis infixæ, quam primum viribus remedium potentior est, temporis durabilitate perficit.

Perditur autem habitus corporis eo modo, uti notatum reperies sub finem scholii paragraphi 28.

Quare, dum sonus præternaturalis in quodam percussio thoracis latere adest, concludere oportebit semper  
D 2 pul-

pulmonem intus contentum aut a vicinis heterogeneis pressum, aut a morbosa materie infarctum, aut ab acrimonia intus genita exesum esse.

Quæ uti nobilissimo visceri vitali, functionum exercitium sensim immi- nuunt, ita quoque successivo incremen- to penitus tollunt.

## OBSERVATIO VII.

DE

SONO PRÆTERNATURALI  
THORACIS, QUI MAGNAM EX-  
TRAVASATIONEM LIQUIDORUM IN VASIS  
HUIUS CAVI COERCITORUM CON-  
STANTER SEQUITUR.

## §. XXX.

In vasis hujus cavi coercen-  
tur liquida: 1<sup>mo</sup> chylus: 2<sup>do</sup> fan-  
guis: 3<sup>tio</sup> serum & lymphæ.

SCHO-



SCHOLIUM.

Coerceri hæc liquida in vasis pectoris interni, docet physiologia, demonstrat anatomia, videt denique oculus nudus & armatus.

Verum agitur hic de extravasatione prædictorum liquidorum, quæ in vasis hujus cavi coercentur, & quæ percussio dum extravasata sunt, cæteris signis paribus detegere potest.

Fateor candide, nondum mihi obtigisse chyli extravasationem videre, scio equidem ductum thoracicum, qui chylum coercet, atque in venam subclaviam ducit, extra teritorium pleuræ locatum demonstrari. Verum ideo, quia materies in cavo thoracis sæpe acrior genita, pleuram, costas, & cutim externam erosisse visa fuit, hanc extravasationem præmonui, quoniam possibilis non implicat.

## §. XXXI.

Extravasantur liquida §. 30. in cavum pectoris 1<sup>mo</sup> simul ac solutio vasorum fit, quibus coercentur: 2<sup>do</sup> a nimia humorum tenuitate & dissolutione: 3<sup>tio</sup> a perspirantis reabsorptione nulla &c.

## SCHOLIUM.

1<sup>mo</sup> Referuntur huc causæ externæ violentæ ut (a) vulnus: (b) contusio: & (c) illa, quæ Illustrissimus Præceptor ex observatis tam propriis, quam alienis notavit.

2<sup>do</sup> Ab internis causis extravasationes fiunt, in cavum pectoris, dum laxa & debilia vasa (d), accedente excessu circulatorii motus (e), in sub-

fisten-

---

Vide Com. (a) §. 145. 148. (b) a §. 321. ad 328. (c) §. 302. 303. (d) §<sup>vo</sup> 41. (e) §<sup>vo</sup> 100.

fistente plethora, (f) distenduntur, rumpuntur.

3<sup>tio</sup> Quando sub cacochymia qualicunque nata obstructio (g) suos effectus producit.

§. XXXII.

Quotiescunque ergo ex liquidis §. 30. recensitis aliquod extravasatum in pectoris cavo hæserit magna copia, toties sonus obscuratus erit ad illam altitudinem, quam liquidum extravasatum occupaverit.

SCHOLIUM.

Veritatem hujus evincit experimentum illud, quod ad finem scholii §. 18. notatum invenitur. Interim

D 4

---

(f) §<sup>vo</sup> 106. (g) a §<sup>vo</sup> 107. ad 123.

rim promissorum & ordinis ratio postulat ad scholium §. I I. ut attingam nunc illos pectoris morbos, qui huic signo non subjacent.

## OBSERVATIO VIII.

DE  
ILLIS AFFECTIBUS INTERNI PECTORIS, QUI A PERCUSSIONE NON DETEGUNTUR.

### §. XXXIII.

Sunt morbi, qui valida tussi pectus affligunt, & propterea suspicionem faciunt pulmonem certissime offensum esse: dum interea in visceribus abdominis sedem figunt, atque tantum ex consensu nervorum pulmones laceffunt

SCHO.

SCHOLIUM.

**R**eferuntur huc tusses stomachicæ & convulsivæ infantum, gravidarum, & illorum, quibus vel ab lentore quartanæ autumnalis, vel a multa pituita viscera abdominis gravantur.

§. XXXIV.

Observantur crudeles tusses, respirationis incommoda, asthmata, & phthyses; quæ ab incomprehensibili nervorum pectoris irritabilitate oriuntur. Verum hi affectus observationibus istis raro subjacent, conjici tamen ex signi hujus absentia, & urina multa aquosa, confidentius poterunt.

SCHOLIUM.

**R**eferuntur huc tusses, dispnoejæ, asthmata, quæ toties in hysteri-

D 5

cis

cis & Hypochondriacis affectibus observantur: tandem phthisis & Asthmatafenum nervosa; forte polypofæ circa cor concreciones in junioribus cæteris paribus conijci inde possent?

## §. XXXV.

Callosus parum pulmo, parvus scirrhus, vomica exigua; & levis extravasatio: percussione haud detegitur: nisi quandoque altiori resonantia affectæ thoracis plagæ.

## SCHOLIUM.

Propterea hæc mala periculo vacare sinunt ægros, donec in majus volumen excrescant; ubi percussionis methodo distinctius indagantur

## §. XXXVI.

§. XXXVI.

Sunt morbi pulmonum, qui ægros affligunt validissima tussi: cujus ope sebacea, cretacea, gypsea, & lapidosa extunduntur.

SCHOLIUM.

Verum neque hi ægri huic signo subjacent: sed sputorum suorum qualitate cognoscuntur. Ab exanthematibus miliaribus licentiosius tractatis. tussim similem (attamen sine sputis) moveri vidi, idque sæpius: sed hoc singularem tractatum exigit.

OB-

OBSERVATIO IX.

DE

ILLIS, QUÆ SUB PRÆSENTE  
HOC SIGNO SECTIO CADAVE-  
RUM DETEXIT.

§. XXXVII.

Cadaverum incisio sequentia la-  
tuiffe docuit, dum hoc signum  
aderat.

1<sup>mo</sup> Scirrhum pulmonis.

2<sup>do</sup> Ejus resolutionem in vomica  
cam ichorosam.

3<sup>tio</sup> Vomicam purulentam clau-  
sam, & apertam, in pleura, pulmone,  
mediastino, pericardio.

4<sup>to</sup> Empyema.

5<sup>to</sup> Hydropem pectoris, in uno  
vel utroque latere.

6<sup>to</sup>



6<sup>to</sup> Hydropem pericardii.

7<sup>no</sup> Extravasationem sanguinis  
conspicua in cavo pectoris aut  
pericardii.

8<sup>tavo</sup> Aneurisma cordis.

### SCHOLIUM.

Supereſt: ut hos affectus ſuo ordine  
proſequar, ita tamen, ut in qui-  
buſdam ſigna generalia præmiſſurus ſim;  
ne confundantur cum illis, quæ quod-  
vis malum ſub certo reſpectu ſibi pro-  
pria habet.

## OBSERVATIO X.

DE  
SCIRRHO PULMONUM, EJUS-  
QUE SIGNIS.

§. XXXVIII.

Scirrhum pulmonis tunc adefſe  
dico, quando ſpongioſa pulmonis  
ſub-

substantia in carniformem & indolentem massam degeneravit.

### SCHOLIUM.

**P**ulmonis spongiosa particula immersa aquæ supernatat, semper; quæ vero carniformem massam indurata refert, observatur subsidere.

Ingens differentia in his scirrhis observatur: vidi scirrhosos pulmones defunctorum, non tantum in duritie, sed etiam in colore, & contentorum qualitate distinctos fuisse.

Sic, sub morbis pectoris inflammatoriis (qui 5<sup>to</sup>, 7<sup>mo</sup>, vel 9<sup>no</sup> die lethales sunt) pulmo invenitur ita infarctus sanguine, ut sæpe numero ab hepate, nec colore, nec consistentia differre videatur.

Id

---

DE SCIRRHO PULMONUM. 63

---

Id unum notatu dignum est, quod purulenta pseudo-membrana sæpe illum ambiat, quando acuta pleuritis lethali peripneumoniæ exordium dedit.

Verum mira varietate ludunt pulmones, quos in chronicis morbis sectio anatomica detexit. Sæpe enim sebacea materia interstincti sunt marmoris ad instar: sæpe sub consistentia cartilaginea carneam massam exhibent: multoties denso & atro sanguine indurati inveniuntur. Videtur sane varietas hæc, a varietate materiæ morbosæ pendere. (a)

§. XXXIX.

Qui, ubi omnino præsens, & nondum in liquamen versus est, his signis conijcitur.

*Signa*

---

Vide Commentar. (a) §. 1051. 1052. 1053.

*Signa Pulmonum Scirrhi.*

Sub figno imminuti vel omnino suffocati sonitus in affecta thoracis plaga affliguntur ægri tussi rariori.

Hanc vel nullum sputum sequitur, vel viscidum, crudum, paucum.

Quiescente homine nec in pulsu, nec in respiratione deprehenditur aliquid, quod bona fide possit vituperari.

Solum a motu parum fortiori anhelitus illos sequitur: imo a loquella productiori jam anguntur & languent.

Accedit, quod eodem tempore ficcam asperitatem in gutture experiantur: & pulsus, qui alias moderate frequens est, jam celer & inæqualis reddatur.

Respiratio & fermo tunc intercifus, & suspiriis intercapedinetur evadit.

Etiam

Etiam facies tunc notas memoratu dignas exhibet : nempe, venæ temporales, sublinguales, & jugulares ex affecto latere magis solito inflantur : dum interea morbosum pectoris latus sub respiratione minus mobile apparet.

Cæterum functiones naturales & animales legitime peraguntur : & decubitus in omni latere facilis fertur.

Et hæc illa signa sunt, quæ pulmonis indicant scirrhum : quem tamen hæc omnia tanto graviora sequuntur, quanto majus spatium in suo thoracis latere fuerit emensus.

## OBSERVATIO XI.

DE  
VOMICA IN GENERE.

### §. XL.

Vomicam tunc adesse dico :  
quando vel sanus vel morbosus

E hu-

humor per circulum actus ad quamdam corporis partem deponitur, atque in spissam massam densatus, vi vitæ ita solvitur, ut de novo cum vasorum extremis in humorem versus, quodam receptaculo sibi formato coërceatur.

### SCHOLIUM.

**N**otio hæc generalis est, quæ omnivomicæ convenit: docet hoc historia obstructionis: (a): deinde historia inflammationis (b) par est ratio, five vasorum five liquidorum vitio id accidat.

### §. XLI.

Duplicem observavi vomicam: vel enim ichorosa, vel purulenta est.

---

Vide, commentar. (a) a §. 107. ad 121 (b) a §. 370. ad 393.

est. Prior pulmonem solum, altera & pulmonem & reliquas thoracis partes obsidere visa est. Utraque vel clausa, vel in tracheæ expansionem aperta est.

SCHOLIUM.

**H**Æc præmittenda erant, ut intelligi possim ab illis, quibus libuerit tædia observationum suscipere non tantum in morbis, sed etiam in cadaveribus.

Intelligo autem sub nomine vomicæ ichorosæ saccum, qui non recondit purulentam materiem, sed humorem tenuem, sæpe ex flavo rubellum, sæpe spadiceum, sæpe ex utroque mixtum: idque a consumptione pulmonis scirrhusi.

Verum ubi inflammationis factæ transitus (a) ita obtigerit, ut pars inflammata in album spissum glutinosum & pinguem humorem fuerit conversus, abscessus aderit: qui, simul ac proprio sibi formato receptaculo coercitus hæserit in pectoris cavo, vomica purulenta appellatur.

Vomicæ hæ, si in ramificationes bronchiorum patent, & sputorum prodeuntium adminiculo excreantur, apertæ dicuntur, fecus clausæ sunt; sed de his agetur in subsequis.

### VOMICA ICHOROSA.

#### §. XLII.

Si scirrhus in pulmone præsens suis signis §. 39. innotescit, & in liquamen solvitur sequentia signa habet.

#### SCIRR.

Vide comment. (a) §. 832. 892.



*SCIRRHI IN LIQUAMEN  
SOLUTI SIGNA.*

**S**ub signis §. 39. ægri languere, & sub alimentorum assumendorum consuetudine pedetentim consumi incipiunt cum pulsu celeri contracto & inæquali.

Respiratio quiescentibus etiam ægris plus anxia & frequens redditur: præcipue vero suspiriis intercurrentibus agitur.

Frons sub præcordiorum angustiis quandoque frigido sudore madet.

Pallent oculi, venæ genarum & labiorum livefcunt: lingua plumbeum colorem refert, idque magis ex affecto latere.

Nullus dolor affligit; nulla fitis urget.

Morbofum latus sub inspiratione tanto immobilius deprehenditur, quanto majorem circumferentiam scirrhus in vomicam resolutus occupaverit.

E 3

Tuffis

Tuffis, quæ adest, rara, sicca, interrupta sine sputo observatur: si tamen quid ejicitur, illud cænosum aut fuscum est.

Ubi eo usque perventum est, incipit languere appetitus: & tandem ex integro deleri.

Nam etsi comestum fuerit quidquam: illud refectionis loco anxietatem inducit tempore digestionis.

Digestio autem semper fit sine heftico calore: qui alias purulentis vomicis individuus comes est.

Nonnullis, quibus scirrhus in medullis solvitur; abdomen & hypochondria complanantur: paucissimis intumescunt: & illud accidit moderato tumore, qui fluctuantis aquæ aliquantulam notam præfert.

Urina a naturali raro abludens mingitur; quandoque tamen rubra est: cui  
fedi-

---

DE VOMICA ICHOROSA. 71

---

sedimentum , si quod est , cinabarini coloris ponitur.

Alvus naturali respondet , nisi arte mota fuerit.

Artuum extremitates livido sub colore nunquam incalescunt : nisi paucis ante mortem diebus.

Verum ubi extremitatum pallor , hectico , attamen furtivo calore rubuerit , etiam affectum latus cachectica inflatione tumet : quod in pede & manu prædictæ partis citius conspicuum redditur.

Quo fit ut crebris animi languoribus , & lypothimiis affligantur similes ægri : & decubitum , quem ex utroque latere facilem hætenus sustinuerunt , jam in affecta plaga pertinaciter retineant.



*VOMICÆ PURULENTÆ  
CLAUSÆ SIGNA.*

**P**Affim sub illibata abdominalium viscerum functione tussis adest sicca, crebra, quandoque adeo violenta, ut fauces exasperentur, vox rauca evadat, & ipsa alimenta sæpe vomitu ejiciantur.

Incertæ horripilationes tunc exordium ducunt, quas sequitur vagus calor, qui vivida rubedine exprimitur in genis & labiis præcipue ex affecto latere.

Hoc, ubi hominem adortum est, etiam quandam lassitudinem adducit, quæ laute pastos sensibilius, quam jejunos obruit.

Respiratio in illo tempore cum quadam angustia festinat, ut attento jam inde suspicio moveatur, quod lateat malum in thoracis cavo.

Præ-

---

DE VOMICA PURULENTA. 73

---

Præterea pulsus contractus frequens, subdurus & inæqualis decurrit : qui etiam extra digestionis tempus, cum hominis constitutione collatus, nunquam exacte sanitatis legibus respondet : quem tamen vel maxime produnt corporis motus, loquela, risus.

Ad hæc, si vomica molem eam adæpta fuerit, ut percussione detegi queat, tunc sequentia observantur.

Æger fructum alimentorum non experitur, quoniam ingesta ob violentiam tussis vel vomitu ejicit, vel ob læsum pulmonem non concoquit; sed plurimam eorum partem in pus convertit.

Inde fit : ut crescente sensim vomica uno pulmone peragatur respirationis negotium, cui ambo pulmones destinati fuerunt.

Quo tempore perpetua anxietas ægrum tenet, qui affecto lateri coactus

incumbit , ne in sanum conversus pondere purulenti facci opprimatur.

Igitur hectico sub calore facies , manus , pedes & affectum latus oedematoso tumore inflantur : dum interea pars opposita nutritionis decessu consumitur , & sudorum nocturnorum copia extenuatur.

His accedit urina rubra , pauca , turbida , brevi foetens cum sedimento fufuraceo copioso.

Ultimum malorum supplementum , sublimis & anhelosa respiratio est : sub qua miser liventibus genis , lingua , unguibus , prope suffocatus , summas inter angustias jugulatur.

*VOMICÆ PURULENTÆ  
IN TRAHEAM APERTÆ SIGNA.*

**Q**Uando vomica major signo percussionis detecta , in traheam , id est :  
bron.

---

DE VOMICA PURULENTA. 75

---

bronchiorum expansionem rumpitur ,  
facta sibi apertura majori , tunc in mo-  
mento suffocat.

Si vero ex angusto ostio pus dimise-  
rit , hisce signis innotescit.

Sub violenta tussi pus ejicitur modo  
album , modo flavum , modo croceum ,  
modo viride , modo cænosum , modo  
subcruentum : quod aquæ immisum fun-  
dum petit , & carbonibus injectum ni-  
dorosum & graveolentem odorem spar-  
git.

Si ad locum , ubi vomica percussio-  
nis signo detecta est , volam manus spu-  
enti imposueris , strepitum puris mani-  
feste distingues in pectore interno : id-  
que , dum tussiverit æger.

Sputum hoc per dies cessat , cum  
Euphoria ægri : semper tamen ab au-  
ctiori feбри per viginti quatuor horas  
continuante denuo rediturum prænun-  
ciatur.

Quo

Quo tempore locus vomicae percussione detectus ante ingruentem sputorum rejectionem carnis sonitum exacte refert, qui tamen resonantiam obtusam recipit illico, simul ac materies intus cumulata, ex noviter aperta vomica, ope violentae tussis fuerit excussa.

Lenta febris individuus comes post pastum augetur, & praeprimis nocturno tempore invalescit.

Hujus vigore aegri sudoribus diffluunt in fronte, jugulis, & pectore.

Præterea, dum hæc sub rejecto pure ultro propagantur, incipit foetere halitus, qui non tantum adstantibus, sed & ipsis ægris nauseam movet.

Quibus fit, ut sub fiti magna appetitus (qui plurimis cum inodoris sputis sæpe magnus est) deleatur non tantum in asueta, sed, quod pejus est, in ipsa gulæ irritamenta.

Hæc,



---

DE VOMICA PURULENTA. 77

---

Hæc, ut ut pauca assumta fuerint, refectionis loco languores inducunt, atque angustias.

Spumosa urina semper est; foetet illico, & viscosum tenax album sedimentum ponit.

Inde fit, ut similes ægri indies magis emarcescant: ossa horrifice ubique promineant, capilli defluant, ungues adunci fiant, & pedum extrema cedematoso tumore inflentur.

Hæc omnia, ubi eo usque provec̄ta fuerint, hominem ita enervant, ut accedens diarrhœa colliquativa rejectionem sputorum minuat, supprimat: sicque ægrum inter assiduos languores, illo die (a quo communiter conductis in arcum pedibus pertinaciter dorso incuberit) tertio, inopinanter tollat.

\* \* \*  
\* \* \*  
\* \* \*

EM-

*EMPYEMA.*

§. XLIII.

Si materies ex rupta vomica  
§. 37. ad N<sup>rum</sup> 3. percussione de-  
tectā inter pulmones & pleuram  
delabitur, atque super diaphra-  
gmate decumbit Empyema adest.

SCHOLIUM.

**H**æc thesis præmittenda erat, ut in-  
telligi possim ab iis, qui vomica  
in traheæ expansionem apertam  
cum idea Empyematis propositi con-  
fundunt. Illustrabitur autem Paragra-  
phus præmissa per commentaria Illu-  
strissimi Præceptoris mei (a).

§. XLIV.

---

Vide (a) §. 1183. 1184. 1185.

## §. XLIV.

Si magna vomica, cujus circumferentia & profunditas ad observationem tertiam §. 15. 16. 17. cognita supponitur, rupta fuerit, uti §. 43. dictum est, tunc his signis innotescit.

**Æ**ger, qui lateri, ubi vomica hæsit, passim incubuit, repentino dolore prope suffocatus, in altum exilit, & in situ erecto teneri postulat.

Sonitus tunc, qui in loco vomicæ paulo ante suffocatus erat, quodammodo redit :

Sed pro puris quantitate super diaphragma effusi plus minusve deletur in postica & infima thoracis parte, quæ ab ultimis costis versus scapulas sursum menfuratur.

In

Inter hæc ægrum tussis creberrima urget, sub qua, si quid sub stertore pectoris interni extunditur, illud paucum & spumofum est.

Sudor frigidus, sub redeuntibus animi deliquiis, & laboriosa respiratione in fronte & jugulis erumpit.

Quo tempore genæ & labia tristi rubore suffunduntur; unguis livent, & pupillæ oculorum grandescunt.

Ad hæc visus hebetudo mortem (quæ sub rupta magna vomica in paucis horis accidit) instare nuntiat.

Iisdem prope signis vomica parva, si rupta ita fuerit, interimit; sed longiori intervallo: idque præcedentibus pleuroperipneumonix signis. (a)

OB-

---

Vide commentar. (a) ad §. 894. 905. 1188.

OBSERVATIO XII.

DE

HYDROPE PECTORIS.

§. XLV.

Quando aqua in pectoris cavo inter pleuram & pulmonem collecta hæret, hydrops pectoris adesse dicitur : cujus duplex species observatur ; vel enim hydrops pectoris unum latus, vel utrumque occupat.

SCHOLIUM.

**H**oc in viventibus percussio thoracis determinat : in cadaveribus autem anatomica inspectio vera esse demonstravit.

F

PE.

PECTORIS HYDROPIS SIGNA  
GENERALIA.

Generalia signa hæc præcipua sunt :  
 1<sup>mo</sup>. Difficilis & anhelosa respira-  
 tio. 2<sup>do</sup>. Tussis sicca interrupta, qua  
 sputa feruntur tenuia aquosa, quando-  
 que subviscida. 3<sup>tio</sup>. Pulsus contra-  
 ctus subdurus celer & inæqualis : sæpe  
 intermittens. 4<sup>to</sup>. A minimo motu  
 anhelitus & suffocationis sensus. 5<sup>to</sup>.  
 Ciborum calidorum nascens fastidium.  
 6<sup>to</sup>. Anxietas perpetua circa scrobicu-  
 lum cordis. 7<sup>mo</sup>. Pressio ingens pe-  
 ctoris, & ventriculi distensio tempore di-  
 gestionis. 8<sup>vo</sup>. Murmur circa hypo-  
 chondria, & frequens flatuum (cum  
 Euphoria momentanea) per superiora  
 eructatio. 9<sup>no</sup>. Sitis prope nulla. 10<sup>mo</sup>.  
 Urina admodum pauca, rubra, raro  
 prodiens, cum sedimento lateritio. 11<sup>mo</sup>.  
 Ab-

---

DE HYDROPE PECTORIS. 83

---

Abdominis tumor, maxime tamen renitens circa regionem epigastricam: præcipue vero illam, quæ incumbentis aquæ pondus magis experitur. 12<sup>mo</sup>.

Extremitatum, & præcipue pedum sublivescens tumor, & ad tactum frigus. 13<sup>tio</sup>. Palpebrarum inferiorum œdematosa inflatio. 14<sup>to</sup>. Genarum, labiorum, linguæ, pallescens; sæpe pro mali natura sublivescens color. 15<sup>to</sup>. Noctes anxie, decubitus impatientes, soporosa, multoties infomnes.

Hæc tamen mire variant, pro ratione mali.

HYDROPIS PECTORIS SIGNA EX  
UNO THORACIS LATERE.

**P**Ræter signa generalia proxime præposita affectum latus ( si ex integro aqua plenum fuerit ) effœminat

F 2

est

est, & in inspiratione minus mobile deprehenditur.

Percussum autem nulla ex parte resonat.

Verum si media pars aqua repleta fuerit, evocabitur resonantia major in illa parte, quam aquosus humor non occupaverit.

Variatur tunc sonitus evocatus, pro vario situ ægri, quem assumere capax fuerit, ita ut observet rationem liquidi sese ad libellam componentis.

Præterea hypochondrium ex illo latere, quod aquam continet, in tota circumferentia plus tumidum est: & pressum magis, quam abdomen renititur.

Palpebra, manus & pes ex morbosa parte œdematosa inflatione subument.

Singulare est: quod decubitus facile sustineatur declivis, quando pectoris cavum integre aqua repletum fuerit:

con-



contra vero si fluctuanti aquæ locus vacat.

*SIGNA HYDROPI PECTORIS  
EX UTROQUE LATERE.*

**S**I utrumque cavum pectoris aquam continuerit ; hæc signa præter generalia specifica adfunt.

Sonitus pro illa altitudine suffocatus est, quam aqua in utroque thoracis cavo occupaverit.

Omnes ægri, qui ita laborant, asthmatici evadunt : imo asciticis fimillimi forent, nisi palpebræ inferiores, & manuum extremitates turgerent.

Accedit, quod decubitus nullatenus sustineant : & in quocunque latere se composuerint, suffocationis sensus angantur.

Propterea diu noctuque federe coguntur, ne pressionem aquarum (qua-

F 3                      lis

lis fedentibus abdomen verſus directa eſt ) in ſuperiorem partem experiantur jacentes.

Dignoſcitur autem hoc , quod fluctuante aqua apparenter turgidus venter ab Hypochondriorum remittendi tumore ſuperetur tunc : quando ægrum, ſigni hujus obſervandi cauſa ſtatem inquiriveris. Omnes hos ægros peripneumoniacorum mors exſpectat :

Nempe pulſus deficit ; omnia frigent ; ſolum pectus & caput calent : genæ & extrema livent : ſublimis reſpiratio intermittit , & tandem ceſſat.

### HYDROPS PERICARDII.

#### §. LXVI.

Quando pericardii humor ita cumulatur , ut actionem cordis turbare poſſit , hydroſ pericardii nuncupatur : cujus duplex ſpecies ob-

observatur ; vel enim aquosus ,  
vel purulentus est.

SCHOLIUM.

**S**ub longa agonia moribundorum hic humor ( qui in suos usus alias semper præsens est ) magis colligitur ; & fere semper in sectis horum cadaveribus majori copia deprehenditur.

Verum non intelligo hic eam aquarum collectionem , quæ ab lethali reforescentium vasculorum resolutione pendet ; sed illam constituo , quæ obstructionis effectibus debetur. Vide paragraphum 40. in scholio.

Atque ideo patebit ratio , cur duplicem speciem Hydropis pericardii statuere ausus sim ? quoniam ambos observare sæpe obtigit , ea tamen ratione ; ut purulentus exhibeat cor , flofa purulentæ materiei decoratione funesta hirtum : alter solum impalescat ru-

borem solitum cordis , per macerationis effectum.

Multis purulentus Hydrops empyematis nomine rectius insignitus videri posset ; verum de nomine lites nunquam movebo , quando signa docent.

### HYDROPI PERICARDII SIGNA.

**H**Ydropem pericardii omnia prope signa comitantur , quæ de hydrope pectoris in genere citata sunt.

Signa vero specifica sequentia deprehendi.

Sonitus , ubi cor locatum est , alias §. 3. ad *Nrum.* 3. 4. obtusior deprehensus , ita suffocatus est , ac si frustra carnis percussisses.

Scrobiculum cordis tumor occupat , quem renitentia sua distingues facile , a ventriculo flatibus turgente.

Se-

---

DE HYDROPE PECTORIS. 89

---

Sedentes obdormiunt, idque ad anteriora inclinato corpore.

Protinus iterum evigilant, simul ac ad anteriora decidentis capitis pondus sentiunt.

Amaritudinem propterea inquietæ ad somnum propensionis adstantibus conqueruntur.

Accidit: quod tunc animi defectiones (quæ pulsû ad ordinem & magnitudinem inæquali crebrius repetunt) miseros ægros affligant, qui sub omni fitu, quousque vixerint, extremas angustias patiuntur.

Paucis ante mortem diebus collum multis inflatur: atque oculi vehementer rubent lachrimantium ad instar.

Cum quibus signis quandoque apoplexia superveniens vitam momento citius finit, vel lypothimia terminat.

Eædem Notæ adfunt in hydrope pericardii purulento, ac quæ percussio manifestat in aquoso. Cæ-

Cætera vero signa penitus cum illis coincidunt, quæ vomica purulenta clausa præferebat.

Solet autem contenta aqua in Hydrope pericardii purulento turbidi feri lactis ad instar apparere : quod vero purulentum est, cordi fimbriarum ad instar, adhæret.

OBSERVATIO XIII.  
MAGNÆ SANGUINIS EXTRAVASATIONIS SIGNA.

§. XLVII.

Sanguinis Extravasationis magnæ, in internum thoracis cavum causæ, ad paragraphi 31<sup>mi</sup> scholium notatæ fuerunt: signa vero sequentia sunt.

SCHO-

SCHOLIUM.

**S**ub perpetua & inexplicabili anxietate præcordiorum atque oppressione pectoris corpus jaçtatur, & omnis decubitus impatientissimum redditur.

Sonitus a percussione evocandus abest in illa parte, in quam contigerit sanguinem ex læsa arteria infiliisse.

Omnibus pulsus contractissimus celerimus, & omni ordine inæqualis est.

Respiratio summe anxia cum tussi crebra & suspiriis interruptis ex intimo thorace expressis ducitur.

Detumescunt venæ omnes, rubent oculi, & paucis ante mortem horis languidi inpalescunt.

Ad hæc frigidus sudor erumpit, circa jugula & tempora: quo facto æger obtumescit, quandoque dentibus fren-det, & sub extremitatum algore stertorosus suffocatur.

Verum

Verum hæc signa adfunt, ubi illæso pulmone sanguis magna copia in cavitatem pectoris delabitur.

At ubi vulnerata fuerint pulmonis vasa; etiam præter hæc, spumofus sanguis tussi ejicitur: & vulneratus locus aerem admittit. (a)

## OBSERVATIO XIV.

### ANEURISMA CORDIS.

#### §. XLVIII.

Quando cor ita distenditur, a sanguine in ventriculis & auriculis cumulado, ut illo propellendo impar evadat, tunc sæpe expanditur in incredibilem molem: distensionem hanc, Aneurisma cordis appellare placuit.

SCHO-

---

(a) Vid. Comm. §. 300. 301. 302.



SCHOLIUM.

**C**Rebro hic affectus occurrit, in sectione cadaverum. *1<sup>mo</sup>* in inflammationibus illis qui utrumque pulmonis lobum cito & valide occupant. *2<sup>do</sup>* in morbis inflammatoriis, qui in scholio paragraphi 22. sub finem notati sunt, & lethales evadunt.

*SIGNA ANEURISMATIS  
CORDIS.*

**S**ignum patognomonicum hujus mali est, quod locus (ubi cor situm obtinet) percussus in magna circumferentia carnis percussæ sonitum exacte referat.

Quam primum autem hoc signum apparet, *N.* *1<sup>mo</sup>* in inflammatione pulmonum acuta, notat: quod æger Nyct-  
hemeri spatium non supervivet: extremas enim angustias movet illico;  
ita

ita quidem , ut totus stupidus , ad instar paraplectici , malorum suorum infcius e medio tollatur.

Verum quando hoc signum inflammatoriis pectoris morbis N. 2<sup>do</sup> supervenit etiam funestus Nuntius est, dum hæc signa movet.

Ingens anxietas ægros tenet , qui sub crebra membrorum jactatione stragulorum impatientes evadunt.

Natas inde angustias ægri provectæ ætatis pacato animo sustinent : Juniores vero , multo sermone ad ultimos ferme anhelitus usque nituntur adstantibus disputare : dum ex lecto egredi desiderant : vestimenta postulant , iter , vel alia munia a se exequenda perturbatissimo animo conaturi.

In-

---

ANEURISMA CORDIS. 95

---

Interea omnibus his nitor oculorum  
deperit : roseus genarum color livefcit :  
ungues, manus & pedes plumbeo colore  
maculantur.

Ad hæc frigidus fudor erumpit,  
pulfus celerrimus contractiffimus o-  
mni ordine inæqualis fenfim deficit.

Tandem celeris & ftertorofa respira-  
tio fatifcit, intermittit, ceffat.

Cedant hæc miferis ægris in folatium,  
veris autem medicinæ cultoribus  
in incrementum artis :  
quod opto !

F I N I S.



ANNUARIA GORDIA 93

Invenit omnibus his nrori orationum  
deperit totius gentium color lividus  
ungues manus & pedes plumbeo colore  
maculantur

Ad hoc febrilis labor erumpit  
pulsus celeratus contristatus o  
mni ordine tactus sensu deficit

In T andor colens & lictoris respice  
no tactus tactus colla

Exant hac miseris agit in solatium  
et veris autem nichil cultoribus

in incrementum arie  
quod opto in

W. A. ...  
...




UD 2305  
S

ULB Halle 3  
005 315 700  


gepr. N. C.








B.I.G.

Farbkarte #13

LEOPOLDI AUENBRUGGER  
 MEDICINÆ DOCTORIS  
 IN CAESAREO REGIO NOSOCOMIO NATIONUM  
 HISPANICO MEDICI ORDINARIJ.  
**INVENTUM NOVUM**  
 EX  
 PERCUSSIONE THORACIS HUMANI  
 UT SIGNO  
**ABSTRUSOS INTERNI**  
 PECTORIS MORBOS  
 DETEGENDI.




---

VINDOBONÆ,  
 TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆS. REG.  
 MAJEST. AULÆ TYPOGRAPHI.

---

MDCCLXIII

